RESPONSIO ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, ET REVERENDISSIMI CARDINALIS Mantuani, ad Illuſtriſsimum Cardinalem a' Lotharingia,

ET RESPONSIO SACROSANCTAE SYNODI FACTVM PER ARCHIEPISCOPVM IADRENSEM, ad Illuſtriſsimum Cardinalem à Lotharingia,

ET ALIA ORATIO ARNOLDI FERRERII Parlamenti Pariſienſis Conſiliarii, & pro Eccleſia Gallicana ad ſacrum Concilium Oratoris, de calamitatibus Galliæ.

Acta, & habita omnia in Congregatione Generali. Die xxiii. Nou. 1562. Tridenti.




BONONIAE,

Typis Ioannis Rubei.

MDLXII.

RESPONSIO ILLVSTRISSIMI CARDINALIS MANTVANI, AD Illustrißimum Cardinalem à Lotharingia.

ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE



O die, quo nos D. V. Illustrißima perhumaniter cõuenit, dixit, se mandata Christianisſimi Regis sui coram Sancta Synodo primo quoq; tẽpore expositurã. Quã ob rem elegimus Archiepiscopũ Iadrensem, virum doctum, & prudentem, qui Sanctæ Synodi nomine, Illustrißimæ D. V. Orationi eleganti, copiosæ, eruditæq;, qualem excellens doctrina sua nobis pollicebatur, atq; euentus ipse comprobauit, responderet, atq; explicaret, quàm gratus nobis omnibus accidisset labor quem suscepit accedendi ad Conciliũ, cum bona parte Episcoporum, Abbatum, & Theologorum Ecclesiæ Gallicanæ. Speramus enim ex hac doctißimorum Prælatorum acceßione, magnũ incremen tum capturam causam Catholicæ Religionis, mirosq; progressus facturam de virtute in virtutem, correptionem lapsuum, & morum, qui hactenus in Ecclesia DEI fuerunt. Nam scimus quæ D. V. Illustrißima in Consiliis Serenißimæ Reginæ Matris, & CAROLI Regis filii, dixerit, pro tuenda Religione, & pro confirmanda Sedis Apostolicæ authoritate, & Sãctißimi Domini No-

ſtri dignitate. Quæ in concionibus ad populum dixerit, non erubeſcens Euangelium Chriſti, vt pleriq; Illuſtri loco nati facere conſueuerunt. Quæ deniq; Illuſtriſſimi fratres ſui militari virtute, in hoc Gallico bello, pro Religione ſuſcepto, præſtiterint. Hæc eadem omnia à D. V. Illuſtriſſima hic verbo, illic verò fortiſſimorum fratrum ſuorum manu, atq; armis, nos conſequuturos magnopere confidimus. Sed ne videar Archiepiſcopi partes mihi ſumpſiſſe, finem dicendi faciam, vbi D. V. Illuſtriſſimam rogauero, ne mirari velit, ſi Archiepiſcopus breuiori Oratione vſurus ſit, quàm rei, de qua agitur, magnitudo, & veſtrarum virtutum cumulus poſtulare videantur. Exiſtimauit nanq; magnam ſe laudem tributurum D. V. Illuſtriſſimæ. Cum pauca, ex multis, quæ dici poſſent, excerperet, cætera verò tacitè noſtræ cogitationi conſideranda relinqueret.



RESPONSIO REVERENDISS. ARCHIEPISC. IADRENSIS, NOMINE SACROSANCTI SYNODI ad Orationem Cardinalis à Lotharingia.

ILLVSTRISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE.




NTER cæteras Christianæ Reipublicæ miserias, & calamitates, quarum memoriam Sacrosancta Synodus neq; deponere, neq; sine lachrymis repetere vnquam potest. Nulla eius animum curà magis anxium, ac sollicitum semper habuit, quàm seditiones, & bellici tumultus, qui Religionis causa in florentissimo Galliarum Regno commoti, & concitati dicerentur. Nam cum omni tempore Regnum illud firmissimum Catholicæ veritatis præsidium, & columen iure optimo habitum fuerit, cogebatur Sancta Synodus incredibili dolore affici, cum intelligeret eiusmodi factam esse rerum commutationem, vt non in vna, aut altera, sed in pluribus eius Prouinciis omnia ferè impietas, cædes, vastitas, occupasse videretur. Accedebat præterea ad augendam doloris acerbitatem, quòd nunciabatur nobilissimos gentis vestræ proceres, quòd scilicet alii Orthodoxam fidẽ labefactatam, & euersam, alii defensam, & conseruatam maximè cuperẽt, tanto animorum ardore ad arma concurrisse, quanto olim Christianissimi Reges vestri totius Gallici nominis consensu, pro Christiana Religione propaganda, eiusq; dignitate recuperanda, difficillima sæpe bella suscepissent, & confecissent. Verũ antea cum hæc mala Sancta Synodus multorum fama, & auditione, accepisset, grauiter sanè dolebat, & præsentem incliti Regni statum maximè deplorabat, ita tamen, vt facilè crederet, multo sibi miserabiliorum eius fortunam videri posse, si quæ aurium sensu perceperat, cernere etiam oculis, & propius omnia eius vulnera intueri, ac penitus pernoscere licuisset. Quod quidem illi nunc insperato quodammodo contigit. Etenim Illustrissima, & Reuerendissima Amplitudo Ve-

ſtra Chriſtianiſsimi Regis literas, quę nuper recitatæ ſunt, Oratione ſua ſubſecuta, ea verborum copia, grauitate, prudentia, Gallicarum rerum ſtatum, & conditionem expoſuit, vt eas non commemoraſſe, ſed earum veluti expreſſam imaginem omnium oculis ſubieciſſe videatur. Quare conſtanter Sancta Synodus affirmat, ſe nullas ei proprias, ac præcipuas doloris partes concedere, verum eò acerbius hanc calamitatem ferre, quòd Amplitudo veſtra Matris Sanctæ Synodi Chariſsimæ, & dulciſsimæ filiæ ærumnas, & incommoda defleat, ac conqueratur. Sed tamen in tantis malis animum erigit, & confirmat, ſi quidem breui futurum confidit, vt DEVS reddat puero Regi priſtinam maiorum ſuorum, & preſertim Aui, Parentis, ac Fratris, clariſsimorum Regum virtutem, & fortitudinem, qua non ſolum nepharios hoſtium conatus reprimere, & audaciam vlciſci queat, ſed in tenera etiam ætate ſingulare aliquod pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imitationem poſteritati prodere. Deinde verò cum diuina Clementia, atque miſericordia, & Sanctiſsimi Domini Noſtri PII Pont. Max. opera, & auctoritate, hoc ſanctum Generale Concilium coactum ſit. Si vnquam antea, nunc certe maximè ſperandum eſt, fore, vt verus Dei cultus, diſcuſſa errorum caligine, ab omnibus agnoſcatur, mores emendentur, pax, & tranquillitas Eccleſiæ reſtituatur. Qua in re quemadmodum adhuc Sancta Synodus omnem diligentiam adhibuit, vt quæ ſui muneris, & officii eſſe intelligebat (adiuuante Domino) perficeret, ita in poſterum, nihil de ea cura ſe remiſſuram. Verum ſi fieri poſsit aliquid potius ad eam ſtudii, & induſtriæ addituram eſſe pollicetur, ac ſpondet. Neq; verò (Illuſtriſsime Domine) te impulſore ſolum, atq; hortatore, ſed multò magis (quod ſummę fœlicitatis loco habendum exiſtimat) adiutore, & conſiliario, id faciet. Nouit enim quanta tua ſit optimarum artium, & præcipuè ſacrarum literarum ſcientia, maximarum rerum vſus, atq; tractatio, apud Regem potentiſsimum, ſummoſq; Principes exiſtimatio, & authoritas, & (quod caput eſt) pietas in DEVM, vitæ integritas, & innocentiæ, ac veræ, & catholicæ Religionis ſincerum ſtudium. Quę quidem tot, & tanta ſunt, vt quid potiſsimum in te homines laudare debeant, maximarum ne virtutum cumulum, an in quocunq; genere abſolutam, & perfectam earum formam, meritò dubi-

 tari

tar: possit. Illud autem exploratissimum Sancta Synodus habet, tàm multa ab Illustrissima Amplitudine vestra ad communis causæ vtilitatem adiumenta allatum iri, ut sibi nunquã minus iucundam eius aduentus memoriam futuram cõfidat, quàm ille ipse dies, quo venientem excepit, lætissimus, ac iucundissimus omnibus illuxisse visus est. Itaq; (Illustrissime Domine) omnes hi Sanctissimi Patres, quòd tam longo, difficili, ac periculoso itinere suscepto, ad tuendam Sanctæ Matris Ecclesię dignitatem, tanta animi alacritate, accurreris, quòd saluus, & incolumis, cum tot grauissimorum Patrum comitatu, adueneris, quòd tua præsentia, authoritate, splendoreq; frui liceat. Primum Deo Immortali maximas gratias agunt, deinde tibi ex animo gratulantur, faustaq; omnia, ac felicia à Domino precantur. Cæterum quæ, vel de communibus Catholicæ Ecclesiæ rebus, vel de priuatis Gallicarum Ecclesiarum commodis proponenda erunt, ea Sancta Synodus quotiescunq; Regiis Oratoribus, viris præstantissimis, vel Illustrissimæ Amplitudini Vestræ, de iis dicendi locus, & potestas dabitur, libentissime audiet. Neq; enim dubitat, quin eius Regis nomine, qui pueritiæ commendationem à pietatis acerrima defensione duxerit, cuiuscunq; in omni vità præcipuum ornandæ, atq; amplificandæ Religionis studium esse debeat, illa proponantur, quæ in primis cum vera Dei gloria, perpetuaq; Sanctę eius Ecclesię vtilitate, & summa Apostolicę Sedis dignitate, & amplitudine coniuncta esse videantur.

ORATIO ARNOLDI FERRERII AD SACRVM CONCILIVM.



RATIONIBVS, quas nunc audistis (Illustrissimi DD. Sapientissimi Patres(nihil est quod à nobis quicquam addi, aut detrahi debeat,tantum vnũ dicemus,bona venia Paternitatum vestrarum, pro muneris nostri ratione; Christianissimi Regis pius,religiosus, & in Catholicam Ecclesiam propensissimus animus antea quidem erat omnibus, satis perspectus, & cognitus, nunc autem adductu, & Oratione Illustrissimi Principis, & Reuerendissimi Cardinalis adeò est illustratus,vt ne illius quidem dubitationi locum relinquat. Nam quo minus antea tanti viri aduentus ab hominibus prudentibus,& peritis rerum humanarum sperabatur, eò magis cum venerit,nemo est vel mediocri ingenio praeditus,qui non planè videat quantum Galli Ecclesię Catholicę consultum velimus,quiq; non intelligat plures, easq; grauissimas esse causas,quibus adductus Rex Christianissimus illum ad vos miserit, cuius singulari consilio in rebus magnis agendis,cum antea saepe vsus est,tum maximè his miserrimis, & calamitosissimis Galliae temporibus. Qui autem existimant priuato magis commodo, quàm Reipublicae Christianae causa haec à nobis fieri,vehementer fallnntur. Potest(si modò velit) Rex Christianissimus, vel triduo seditiones omnes, ac motus suorum componere, inquam officio,& obsequio Gallis innato subditorum omnium animos retinere,sed non tàm quę sua sunt quaerit, quàm quae sunt Ecclesię Catholicae, & Pontificis Maximi,cuius dignitatem,& authoritatem, vt sartam, tectam in Gallia retineat, non dubitat tanti Regni Imperium,vitam & fortunas magnorum Principum,Procerum, & Nobiliorum in periculum adducere. Hic est Galliae nostrae status. Haec fundi nostri calamitas. Quòd si quis nos roget, quid tandem illud est, quod nos, Ecclesiaq; nostra Gallicana tantopere à Cōcilii Tridentini Patribus expetit.Non sumus (Patres Sapientissimi) in petitionibus nostris admodũ morosi, & difficiles nihil

hil aliud petimus, quàm quod totus orbis Christianus flagitat quod à Concilii Niceni Patribus petiit Magnus ille CONSTANTINVS, hoc ipsum à vobis requirit Rex Christianissimus. Omnia illius postulata continentur, aut sacris Bibliorũ literis, aut vetustis Ecclesiæ Catholicę Conciliis, aut antiquis Pontificum, & Patrum constitutionibus, decretis, & canonibus. Hęc sunt, hæc (inquam) sunt, quorum nomine Rex Christianissimus Ecclesię Catholicę primo genitus filius, Ecclesię (inquam) Catholicę petit restitutionem in integrum, apud vos, quos Dominus noster IESVS CHRISTVS pastores legitimos creauit, neque hoc ipsum petitur ex clausula (vt dicitur) generali, sed ex verbis expressis edicti illius diuini, & perpetui, aduersus quod nunquam fuit, neque vnquam erit vsucapioni, aut pręscriptioni locus. Redeant saltem quasi postliminio in sanctam DEI ciuitatem, & in lucem hominum tandem prodeant, quę antiquus hostis Sathan vi eripuit, & longo tempore suppressit. Sic DARIVS Persarum Rex motus in Iudęa propter Religionem excitatos sedauit. Non enim ad arma continuò, verùm vt maiorum suorum leges, & antiqua edicta inquirerentur, iussit. Cumq; inuentum esset Regis CYRI edictum de reditu Iudęorum in Iudęam, & templi instauratione à maioribus suis neglectum, mandauit executioni, & ita pacati sunt tumultus. IOSIAS Rex laudatissimus, & sincerissimus Ecclesiasticę disciplinę exactor, & reformator librum legis ab ALCIA magno Sacerdote inuentum, postea quàm hominum malitia longo tempore suppressus fuerat, primùm legit diligentissimè, deinde lectum recitauit populo, tùm ex illius pręscripto ritus, & pręcepta diuina Iudęis restituit. Strenui illi NEHEMIAE milites, quos tantopere commẽdat CHRISOSTOMVS, altera quidem manu telum tenebãt, altera muros Hierusalem ędificabant, hoc est, Ecclesiam ex antiquis Patrum legibus restituebant. Nisi hęc fiant (Patres Sapientissimi) frustra à vobis rogabimur, num etiam pacta est Gallia? nos enim vobis respondebimus quod Iehu Regi Iorã roganti, num pax? num pax? & quomodo inquit ille pax. cum adhuc supersint, & vigeant? Nostis cętera. Nisi his rebus diligentius detur opera frustra confugiemus ad potentissimi illius, & maximi Regis Catholici affinitatem, singularem amicitiam, incredibilem liberalitatem, frustra fidem, & auxilium

implorabimus

implorabimus Pontificis Maximi, Serenissimi Venetorum Dominii, Lotharingiæ, Allobrogum, & Hetruriæ Principũ auxiliares copias:frustra enim(mihi credite) erit equus ad salutem. Nisi hæc à vobis fiant, turbabitur breui nimia quarũ dam securitas, & (quod caput est) qui interea peribunt, tametsi id illis sua propria iniquitate, & peccato eueniet, vobis tamen peribunt, hoc est sanguis illorum de manu vestra requiretur. Sed priusquam nos ad ea veniamus,quę suo loco, & tempore sumus dicturi,secundumq; mandatorum nostrorum formulam agemus,petimus à vobis (Sapiẽtissimi Patres) à vobis inquam, quos nostra sponte scimus esse satis incitatos, quorumq; pietatis, Religionis,& in omnes homines charitatis sumus non solum auriti, sed etiam oculati testes,vt ea,de quibus iamdiu cœpistis deliberare, quàm breuissimè fieri poterit,absoluatis, quo citius possitis de multo grauioribus, & magis hoc tempore necessariis sententiam vestrã dicere,& his cõuentibus Ecclesiasticum finẽ imponere,ad laudem,gloriam,& honorẽ DEI PATRIS Omnipotentis,eiusq; filii Domini Nostri IESV CHRISTI.

Conclusum est a' Sacrosancto Concilio, vt Sessio futura fieret die XVII. mēsis Decembris. Hoc tamen adiecto, quod ipsa Sācta Synodus prædictum terminum, sicut & vnicuiq; Sessioni in posterum præfigendum, prout ei expedire videbitur in Congregatione Generali liberè restringere, & prorogare possit, & valeat.

Permittente Reuerendo P. Fr. Vincentio Spar-
giato Sanctiſsimæ Inquiſitioni-
nis Vicario.



BONONIÆ,
In Vico Diui Mammoli ad inſigne
Mercurii. 1562.